



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Polemica

Burghaber, Adam

Fribvrgi Helvetiorvm, 1678

LXX. De Confirmationis Sacramento.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72462)

oblatio gratiæ non fuit eadem in utroque baptismo; etenim baptismum Joannis sequebatur penitentia, ut ejus effectus: baptismum autem Christi præcedit, ut ejus dispositio. Ad 3. ex communi SS. Patrum Joannem prædicasse baptismum; qui excitaret homines ad penitentiam, per quam consequerentur remissionem peccatorum: non qui conferret remissionem peccatorum, ut facit baptismus Christi. Fuit igitur confessio Judæorum de peccatis, cujus in baptismo Joannis meminit Marcus cap. 1. mera cæremonia externa, quæ testabantur desiderium expurgandi animi per penitentiam. Ad 4. non esse bonam consolationem, quæ Christo irrogat injuriam. Baptismum autem Christi ipsi Christo vix absque injuria & blasphemia tribuere possumus; quippe videri poterat indigere regeneratione & adoptione; alia est ratio Circumcisionis, quæ ex se non fuit nisi signum externum fœderis cum Abraham & Semine ejus, unde Christus prodibat, qui proinde eodem signo notari atque affici poterat. Videantur DD. à Walenburg. Tom. 2. fol. 402.



CONTROVERS. LXIX.

DE CONFIRMATIONIS SACRAMENTO.

Hoc Sacramentum varijs nominibus appellari solet à Concilijs & Patribus. 1. *Impositio manuum* Actor. 8. v. 14. scil. Consecrativa; non curativa aut Sanctificativa, quarum illa sanitatem corporis, ista gratiam Spiritus sancti confert: eadem impositio manuum non sumitur rigide, sed pro attractu mobili unitus dextræ; imò solius pollicis. 2. *Unctio* à materia proxima; quæ est unctio cum chrismate ex olei & balsami mistione confecto. 3. *Signum vel Sigillum vel Consignatio*, tum quod invisibilem characterem animæ imprimat, tum quod exteriori ac visibili signo S. Crucis in fronte formato perficiatur. 4. denique vocatur *Confirmatio* à peculiari effectu, quia animos Fidelium actualis gratiæ auxilijs in necessitate conferendis ita confirmat, ac roborat, ut nec hæreticorum dolis nec Ethnicorum minis & cruciatibus à fide Catholica avelli se patiantur, sed instar generosorum militum constantes ac immobiles inter prospera & adversa persistant, nec mundi nec carnis illecebris vel dæmonum suggestionibus ab obedientia mandatorum DEI abduci se permittant, quod speciale robur & firmamentum voluntatis est proprius effectus hujus Sacramenti, unde nomen Confirmationis, de quo hætenus, accepit. Nunc de re.



PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHOLICORUM.

I. Naturam hujus Sacramenti copiose declarat Concilium Florentinum in instructione Armenorum his verbis: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus Materia est Chrisma conse-*

ctum oleo, quod nitorem significat conscientia, & balsamo, quod odorem significat bona fama, per Episcopum benedicto. Forma autem est: *Signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris &c.* Ordinaris Minister est Episcopus. Et cum cæteras unctiones simplex Sacerdos exhibere valeat, hanc non nisi Episcopus debet conferre; quia de solis Apostolis legitur (quorum vicem tenent Episcopi) quod per Manuum impositionem Spiritum sanctum dederunt; loco autem illius impositionis datur in Ecclesia Confirmatio; legitur tamen aliquando per Apostolica Sedis dispensationem ex rationabilibus & urgenti admodum causa simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum. Effectus autem hujus Sacramenti est, quia in eo datur Spiritus sanctus ac robur, ideoque in fronte, ubi verecundia sedes est, confirmatus innungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat; & præcipue crucem ejus, quæ Judæis est scandalum, Gentilibus autem stultitia, propter quod signo crucis signatur. Hæc Concilium, unde sequentes doctrinas depromimus.

II. *Doctrina prima.* Confirmatio est Sacramentum confirmativum Baptizati per augmentum virtutis ad constantem fidei professionem. Ab hac definitione, quæ maxime placet Recentioribus, non discrepant istæ: *Est Sacramentum, quo homo baptizatus spiritalis gratiæ augmentum ac robur accipit per chrismatis in fronte unctionem sub certa verborum forma.* Item *est unctio chrismatis sub præscripta verborum forma in fronte baptizati ab Episcopo, quæ is ex Christi institutione gratiæ augmentum ac robur accipit.* Omnes istæ definitiones in sequentibus doctrinis clare apparebunt explicatæ.

III. *Doctrina secundâ.* Confirmatio est Sacramentum propriè dictum: Est de fide apud Catholicos juxta Tridentinum Sess. 7. can. 1. *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam esse materiam: & non potius verum ac proprium Sacramentum, anathema sit.* Hæc doctrina partim ex Sac. Scriptura, partim ex Traditione Ecclesiæ & Sanctorum Patrum testimonio probatur hoc argumento. Apostolica impositio Manuum super capita baptizatorum dans Spiritum est proprium ac verum Sacramentum. Sed confirmatio apud Catholicos usitata est Apostolica Impositio Manuum super capita baptizatorum dans Spiritum Sanctum. Ergo est verum proprièque dictum Sacramentum. Maj. probatur: Omne signum sensibile à D. O. institutum velut pignus gratiæ per Christum conferendæ est verum proprièque dictum Sacramentum. Sed Apostolica impositio Manuum est signum sensibile per Christum institutum velut pignus ad gratiam ab ipso confendam, Ergo &c. Quod sit signum sensibile patet ad oculum: & velut pignus ordinatum ad conferendam gratiam, constat ex Actis Apostol. c. 8. & 19. ubi dicitur: *Apostoli imposuisse manus, ut acciperent spiritum Sanctum, hoc est, gratiam Spiritus Sancti; aliter enim non datur Spiritus Sanctus nisi mediante effectu gratiæ; siquidem quoad substantiam suam immensam alias ubique est, etiam in malis. Quod autem hoc signum impositionis manuum à Christo fuerit institutum; inde colligitur, quod aliqui Apostoli tam certò polliceri non potuissent Spiritum Sanctum, nisi à Christo promissum nem accepissent; quia humanæ potestatis non est Spiritui Sancto præscribere certum signum, quo posito infallibiliter veniat. Quando autem & ubi hoc Sacramentum à Christo fuerit institutum non scitur, quia nec in Sac. litteris expressum habetur, nec ab Ecclesiâ*

clesia definitur, & Theologorum variae sunt opinioniones. Quidam putant, in vltima cœna institutum fuisse, quando Christus suis Discipulis promittit Spiritum Sanctum Joan. 14. v. 16. & cap. 15. v. 26. & c. 16. v. 7. ubi etiam illis ostendit modum confirmandi. Nituntur autoritate Fabiani Papæ epist. 2. c. 1. Sed hanc epist. non esse indubitatae autoritatis ait Posselinus in apparatu. Propterea alij putant, post Resurrectionem primum institutum esse hoc Sacramentum, quando Apostoli creati fuerunt Episcopi, quorum proprium munus est, confirmare, Joann. 20. v. 21. Certe S. Paulus 2. Cor. 1. v. 21. quasi ad vivum depingit hoc Sacramentum: qui nos, inquit, confirmat vobiscum in Christo, & qui unxit nos DEUS, qui etiam signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. ubi nomen Confirmationis expressum, ejus Materia unctionis, & significatio crucis, & effectus gratiæ Spiritus Sancti. Possunt tamen duæ istæ opinioniones conciliari dicendo, institutionem hujus Sacramenti fuisse tantum inchoatam in nocte cœnæ, absolutam verò post Resurrectionem. Minor verò prioris syllogismi probatur. Quia Ecclesia per traditionem ab Apostolis accepit hanc ceremoniam, baptizatis per impositionem manuum conferendi Spiritum Sanctum. Ita testantur antiquissimi Patres. Dionysius Areopagita cap. 2. de Hierach. Ecclesiast. ait, baptizatum divino ac prorsus deifico unguento consignari. Clemens Roman. in epist. 4. omnibus, inquit, festinandum est sine mora renasci & demum consignari ab Episcopo, & septiformem spiritus Sancti gratiam recipere. Et Lib. 3. Constitut. scribit, baptizatos chrismate ungi. Cyprianus Lib. 1. epist. ult. sic clarè rem exprimit: ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est, unctione esse unctus DEI, & habere in se Christi gratiam possit. clarissimè D. Augustin. Lib. 2. contra Petilianum cap. 10. dicit, Sacramentum chrismatis in genere visibilibus signorum est, sicuti ipse Baptismus. Plura in rem præsentem Concilia, Summi Pontifices, ac Patres Græci & Latini videri possunt apud Bellarminum L. 2. de Confirmat. c. 3. & seq. Verweis in Speculo Ecclesiæ fol. 633. & alios.

IV. *Doctrina tertia.* Materia remota hujus Sacramenti est Chrisma, hoc est, oleum olivarum balsamo mixtum: proxima verò est unctio frontis in modum crucis. Ita omnes Catholici ex Concilio Florentino cit. juxta cujus verba communiter docent Theologi, tum oleum, tum mixtionem balsami & benedictionem Episcopi esse de substantia & essentia hujus Sacramenti, quantumvis id de fide non teneant. Neque ex eo, quod Innocentius III. c. 1. de Sacrament. non iterand. rescripserit, nihil iterandum esse circa illum, qui solo oleo delinitus erat, sed supplendum, quod erat ommissum, inferitur, talem mixtionem non esse nisi ceremoniam accidentalem; quippe sciebat Papa, hoc Sacramentum non esse iterabile, & ideo rectè dixit, non esse iterandum, sed supplendum, quod ommissum fuit, id quod etiam verificatur, quando aliquid substantiale fuit ommissum. Unctio quoque illa ita necessaria est ad valorem Sacramenti Confirmationis, ut sine ea manuum impositio non sufficiat; repugnat enim aliquid Sacramentum subsistere sine materia illius proxima. Et quamvis in Scriptura expressè de tali unctione nihil legatur, imò S. Thomas 3. part. p. 72. art. 2. ad 1. putet, Apostolos ex speciali concessione Christi inter-

dum suis manibus Spiritum Sanctum concessisse, tamen id posteris non est concessum, ut constat ex antiqua traditione Ecclesiæ, & multò probabilius est, Apostolos inunctionem illam non omisisse, ut infra dicemus ad objectionem ultimam in fine hujus Controvers.

V. *Doctrina quarta.* Forma hujus Sacramenti juxta idem Florentinum in his verbis consistit: Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in Nomine Patris &c. Ubi apparet, explicari impressionem signi militaris, & insuper mysterium crucis, arque Sanctissimæ Trinitatis, in quorum utpote potissimorum confessione vel maximè exercetur fortitudo; unde in Centurijs meis Casuum Conscientiæ fol. 450. docui contra nonnullos, communem hanc formam esse essentialem quoad omnes suas partes, quæ est receptissima Theologorum sententia.

VI. *Doctrina quinta.* Ordinarius Minister Confirmationis est Episcopus, cui vi hujus Sacramenti administratio valida ratione Ordinis Episcopalis convenit. Ita omnes Catholici, & post Florentin. definit etiam Tridentinum Sess. 7. de Confirmat. c. 3. his verbis: Siquis dixerit, Sancta Confirmationis Ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis alium simplicem Sacerdotem, anathema sit. Colligitur etiam satis ex Actor. 3. ubi ad Samaritanos jam baptizatos missi sunt Petrus & Joannes, ut illis imponerent Manus, & Spiritum sanctum conferrent. Dixi Ordinarium. Nam delegatus esse potest quilibet Sacerdos, non quidem à quolibet Episcopo, sed à Summo Pontifice ad hoc deputatus, ut in ipsdem Concilij & antiquissima Ecclesiæ praxi habetur; idque exigebat tum Episcoporum in quibusdam Provincijs raritas, tum hujus Sacramenti in ipsdem locis vel necessitas vel maxima utilitas, quo plurimi aliàs carere debebant.

VII. *Doctrina sexta.* Subjectum hujus Sacramenti est omnis & solus baptizatus necdum confirmatus etiam infans & moribundus. Nam licet istis non sit necessaria Confirmatio, utpote brevi ex hac vita discessuris, expedit tamen illis tum ob gratiæ augmentum, tum etiam pro ultima lucta contra hostem invisibilem: illis autem infantibus, licet olim statim post baptismum collata fuerit Confirmatio (baptizantibus tunc Episcopis non nisi bis in anno) hodie tamen ob graviores causas solum usu rationis præditi ad eam admittuntur. Solis vero baptizatis confertur Sacramentum Confirmationis exemplo Apostolorum, qui tantum baptizatis manus imponebant ad dandum Spiritum Sanctum. Reliqua etiam omnia Sacramenta characterem Baptismi supponunt, alioquin non valitura.

VIII. *Doctrina septima.* Effectus hujus Sacramenti in eodem Concilio Florentino indicatur triplex; nempe: Gratia sanctificans tribuens jus ad auxilia opportuna pro defendenda fortiter usque ad mortem fide Christiana contra externos ejus hostes: Character, idè quo supra satis dictum: Exercitatio aliarum virtutum. Et quia fortitudo Christianorum militum magis in patiendo, quam agendo consistit, solet ab Episcopo alapa confirmato infringi, quasi diceret, quod Christus Matth. 5. v. 39. Siquis te percusserit in dextram tuam, præbe illi & alteram. Notant autem Theologi, Sacramentum Confirmationis plus gratiæ conferre, quam Baptismum; quia iste est quasi

generatio infantis : illa autem incrementum ad-
ulti. Sicuti ergo homo per augmentum multo
plus substantiæ acquirit, quàm in natiuitate ac-
ceperit, ita Confirmatio plus gratiæ tribuit, quàm
Baptismus. Quod si homines perpenderent, non
tam facillè negligerent aut tam diu differrent u-
sum hujus Sacramenti adeo utilis, quantumvis
non necessarii, nec præcepti nisi ordinandis.



PARS POSTERIOR.

ERRORES HAERETI-
CORUM

IX. **E**rror primus est, Confirmationem non
esse Sacramentum. Ita Lutherani apud
Gerhardum P. 2. Lib. 2. à fol. 953. Et Calviniani
apud Amesium Tom. 3. L. 3. à fol. 73. post alios
haereticos. Probant ex eo, quod non sit funda-
mentum in Scriptura. Nam, inquiunt, manuum
impositio, de qua in Actis Apostol. c. 9. & 19. fit
mentio, planè fuit diversa. tum quia nihil dicitur
de aliquo unguento & cruce. Tum quia longè
aliud habuit officium; quippe conferebat donum
linguarum & Spiritum Prophetiæ, quod non fit
in hodierna Confirmatione. Videtur igitur fuisse
peculiare privilegium Apostolis concessum, no-
bis non imitandum, nec in Sacramentis nume-
randum. Hunc errorem ab Ecclesia Catholica
semper damnatum veteres haeretici ex eodem fun-
damento tenuerunt, ut indicat S. Hieronymus
in dialogo contra Luciferianos, ubi postquam dix-
erat, Episcopos Baptizatis per impositionem
manuum dare Spiritum Sanctum, subiungit: *Exi-
git ubi scriptum sit? in Actibus Apostolorum. Sed etiamsi
Scripturae auctoritas non subesset, totius orbis in hanc par-
tem consensus instar præcepti obtineret.* Inprimis igitur
hoc argumentum frivolum est, sæpiusque jam ex-
plosum: hoc non est scriptum. Ergo est falsum.
Deinde non est verum, quod hujus Sacramenti
nulla fiat mentio in Scriptura. Nam impositio ma-
nuum Apostolicarum fuit hoc ipsum Sacramen-
tum, ut supra ostendimus. Neque refert, nullam
feri mentionem in Actis Apostolorum unguenti
& crucis; quia has ceremonias expressit Apo-
stolus 2. Cor. 1. & ab Apostolis id factum asserue-
runt SS. Patres apud Bellarminum & Verweis
loc. cit. adducti, è quibus lubet solum referre
Ambrosium, qui Lib. 3. de Sacram. cap. 2. *Sequi-
tur, ait, spirituale signaculum &c. quia post fontem su-
perest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem sacer-
dotis spiritus Sanctus infunditur.* Idem Lib. 6. de Sa-
cram. c. 2. scribit: *Ergo accepisti de Sacramentis, ple-
nissime cognovisti omnia &c. in omnibus, quæ egimus, ser-
vatum est mysterium Trinitatis.* Et infra. *Quomodo?
DEUS, qui te unxit, & signavit te Dominus, & posuit
spiritum Sanctum in corde tuo.* Et mox: *Ergo unxit te
DEUS, signavit te Christus, quia crucis ipsius signatus es
formâ ad illius passionem &c.* Non obstat, quod un-
ctio Apostolorum contulerit donum linguarum
& prophetiæ, quod hodie fieri non solet. Quia
ille effectus non erat ordinarius, nec omnibus con-
ferebatur, teste Apostolo 1. Cor. 12. v. 29. *Nunquid
omnes Propheta? nunquid omnes linguæ loquuntur?*
Quod si ex miraculis velimus argumentari, etiam
Baptismus de numero Sacramentorum erit exp-
pungendus, quia olim multa mira patrabat, quæ

hodie non fiunt v. g. in curatione lepræ Constan-
tini Imperatoris. Quamvis etiam hodie in Sacra-
mento Confirmationis nonnulla miracula con-
tingant, ut videre est in catechismo historico &
passim alijs libris.

X. *Error secundus eorumdem hæreticorum, &
nominatim Kemnitij apud Bellarminum Lib. 2.
de Confirm. c. 9. negantis, ullum balsamum am-
plius in mundo exitere, adeoque hominibus il-
ludi cum chrismate balsomato. Testem adducunt
Plinium lib. 12. naturalis histor. cap. 25. asseren-
tem, suo tempore tantum in duobus hortis Ju-
dææ plantas balsami fuisse, quæ jam una cum
hortis excisæ & vastatæ sint. Errori huic obstitit
experientia, quæ contrarium docet; tantum e-
nim abest, ut balsamum penitus sublatum fue-
rit, ut jam copiosius & pluribus in locis crescat,
quàm unquam antea. Nam olim in Sicilia crescebat;
unde Regina de Saba plantam Salo-
moni obtulit, & in Judæa quoque succrevit; in-
de in Ægyptum miraculosè translatum est balsa-
mum. Cum enim B. Virgo cum filio suo Chri-
sto in Ægyptum fugisset, aqua fontis, ubi infan-
tulus Christus vel ejus panniculi lavabantur, in
agros diffusus balsamum protulit, teste Baronio
Tom. 1. Anno Christi 1. num. 46. & Jacobo Gual-
derio Chronographi fol. 19. Nunc autem balsa-
mum ubertim crescit in India & quidem præ-
stantissimum, quod inde Mercatores attulerunt
in Europam & Medici probarunt, ut DEUS vi-
deatur propter ipsum Sacramentum Confirmatio-
nis balsamum multiplicasse. Ipsas quoque olivas
jam multò fertiliores esse, quàm olim, ne unctio-
nibus Ecclesiasticis oleum deesset, testatur Tho-
mas Bozius de signis Ecclesiæ Tom. 1. fol. 131. Er-
ravit igitur Plinius auribus potius, quàm oculis
credens, in rebus evidentibus nihil valet humana
Authoritas.*

XI. *Error tertius est Lutheranorum & aliorum
Sectariorum hujus temporis, qui uti cæteras cæ-
remonias contemnunt ac rident, ita nominatim
exhibitant exorcismos olei in benedictione Ep-
iscopali fieri consuetos; id enim putant cedere in
DEI contumeliam, quasi creaturæ ipsius à demo-
ne possideantur contra Sac. Scripturam Genes. 1.
v. 31. *Vidit DEUS cuncta, quæ fecerat, & erant valde
bona.* 1. Timoth. 4. v. 4. *Omnis creatura DEI bona
est.* Error iste Sectariorum planè Mahumetanor-
um & Paganorum sensui concinit, qui omnia
mysteria Christiana exhibitant miseri ipsi & de-
plorandi sanniones. At si voluit Amesius non
meras calumnias evomere; dicendo loc. cit. fol.
81. in omnibus istis Ecclesiæ ceremonijs nihil esse
nisi histrionicum & ridiculum, cur non earum
solidam refutationem attulit? stolidum Novato-
rum risum pluri faciamus, quàm antiquissimum
Catholicæ Ecclesiæ usum. Itaque quæ in Ecclesia
piè semper sunt factitata, & ex libris omnium
veterum Patrum ostendi possunt, nec risum &
& contemptum merentur, nec nisi à dæmonibus
& horum affectis odio habentur. An non lege-
rint Adversarij in Evangelio complures homines
à dæmone obsessos, & à Christo exorcizatos fu-
isse? at homines sunt creaturæ DEI & quidem
valde bonæ. An non meminerit, serpente à dæ-
mone obsessum, & cum Eva locutum fuisse Ge-
nes. 3. v. 1. item porcos Marci 5. v. 13. quasi verò
diabolus non possit abuti bonis DEI creaturis
ad malum finem, sicut homines cibo & potu ad
gulam*

gulam abutuntur. Verum Episcopi non eo animo exorcizant, quod putent, oleum à dæmone obfatum; sed quod sciant, dæmones solere abuti eo ad hominis perniciem, adeoque divinâ auctoritate imploratâ jubent illum abstinere sacro oleo ad usum Sacramenti deputato. Quare Lutherani, Calviniani, aliique Sectarij tam impiè quàm stolidè exorcismos sacros proclamant Ecclesiæ imposturas rejectas ab Ulpiano L. Præses provinciae ff de varijs & extraordinarijs cognitionibus, quia Juris-Consultus non loquitur de Exorcistis Christianis, sed longè alijs, ut ostendit Baronius in Annalib. Eccles. ad an. Chr. 558. num. 10.

XII. Error quartus est eorumdem Hæreticorum contra signum crucis, quod in fronte confirmatorum formari solet, quod magnis contumelijs incessunt, tanquam characterem Antichristi. de quo Joannes in Apoc. 13. v. 16. ait: *Facies omnes pusillos & magnos & divites & pauperes & liberos & servos habere characterem in dextra manu sua, aut in frontibus suis.* Addit impius Gerhardus L. 2. Part. 2. Confess. suæ fol. 777. ex diabolo nos didicisse formare crucem super cibo, & inde suspectam esse doctrinam de efficacia signo crucis inhærente; unde cum Brentio in Proleg. super Confess. Wirtenberg. capit. de Traditi. fol. 255. ait: unâ tantum cruce fugatur Satanas, nempe cruce Domini nostri JESU Christi, eaque non digitis in aëre aut corpore effictâ, ac ne illâ quidem lignèâ, in qua Christus pependit, sed ipsâ passione in cruce peractâ, & à nobis per fidem susceptâ.

XIII. Huic errori opponit se Joannes Apocal. 7. v. 3. ubi *Angelus signavit servos DEI in frontibus eorum*; quod credibile est, fuisse signum crucis juxta Ezechielem cap. 9. v. 4. *signa Thau super frontes virorum.* Atqui hebraica littera Thau olim formabatur in modum crucis, sicut Græcum X. Certè olim usitatissimum fuisse signum Crucis, testatur Terullianus Lib. de corona militum c. 3. dicens, *Christianos ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra & mensas, ad limina, ad cubilia & sedilia, & quæcunque conversatio exercebatur, frontem signaculo crucis terere.* D. Basilius Lib. de Spir. Sanct. c. 27. inter primas & præcipuas Traditiones reponit usum signi Crucis. D. Augustin. Tr. 118. in Joannem scribit: *Quid est signum Christi? quod signum nisi adhibeatur in frontibus credentium sive ipsi aqua, ex qua generantur, sive oleo, quo chrismate unguuntur, nihil eorum ritè perficitur.* Quod etiam DEUS multis miraculis confirmavit, præsertim pellendo dæmonis insidias, unde in proverbium abiit: *timet sicut diabolus crucem.* Et in catechismo P. Petri Canisij pro tessera hominis Catholici ponitur. Unde apertè falsum est, quod Gerhardus ex Brentio atulit, nempe solâ Christi passione satanam fugari; quia hoc & experientia & communi Fidelium sensui repugnat. Et cùm DEUS intuitu passionis Christi signo Crucis talem efficaciam dare nequeat? Quapropter bene de hisce Crucis inimicis scripsit Augustinus de verb. Dom. Serm. 8. *De cruce Christi nobis insultant sapientes hujus mundi & dicunt: quale cor habetis, qui DEUM colitis crucifixum &c. In fronte illam figat, ubi sedes pudoris est, ibi, in quo membro erubescitur, ibi figatur, ubi non erubescitur.* Ecce fronti crucem figendam esse, ut non erubescatur Crucifixus, docet S. Augustinus, id quod in Confirmatione fit, quid ergo reprehendi in hoc

potest? Sine cruce etiam nihil consecrari posse, testantur omnes fere Patres, ut ait Bellarminus Lib. 2. de Confirmat. c. 13.

XIX. Respondetur ad fundamentum Adversariorum, signum crucis non esse characterem Antichristi, id quod demonstramus 1. ex ipso loco Apocal. 13. ubi dicitur, *neminem nisi illo signo notatum tempore Antichristi ad emendum aut vendendum admissum iri*; unde sequitur, illam notam debere esse stabilem, & visibilem, ut negotiantes videant, quis admittendus, quis repellendus, quod nostro signo crucis non convenit; nihil enim stabile & visibile imprimi. sed cum ipso motu digitorum transit. 2. Antichristus maximo odio persequetur crucis signum tanquam tesseram JESU, quem falsò pro Christo se vendidisse, calumniabitur, & se se verum Christum affirmabit. Ergo minime credibile est, quod pro suo characterem usurpaturus sit signum crucis. Quare nonnulli Interpretes Apocalypsis arbitrantur, ejus Characterem fore duas initiales litteras Nominis Christi, sed invicem inflexas. Videri possunt, quæ diximus supra in Controvers. de Antichristo.

XV. Urget Kemnitius apud Bellarminum Lib. 2. de confirmat. c. 9. Cyrillum & Ambrosium dicere, alias etiam partes chrismate unungi. Ergo certum non est, frontem inungendam esse. Respon. quidquid fiat circa alias partes corporis juxta varios ritus Ecclesiæ, frontem inungi oportere, si valor Sacramenti subsistat. Et hæc inunctio in fronte exprimitur, quando solius etiam impositionis manuum fit mentio; quippe idem sunt unctio chrismatis & manus impositio, ut bene notat Hugo de S. Victore Lib. 2. de Sacram. part. 7. c. 2. constat enim, Apostolos usos fuisse chrismate, cum id asserant Dionys. Areopagita & Clemens: ac præterea unctiois meminerint antiquissimi Patres. Quando igitur Innocentius III. c. cum venisset ext. de Sac. unct. ait, *per frontis chrismationem designari Manus impositionem Apostol: & Concilium Florentinum loco illius manus-impositionis dari nunc in Ecclesia Confirmationem*, sensus non est, quasi Apostoli non fuissent usi chrismate: & nos non utamur Manus-impositione; sed tam Innocentium Papam, quàm Concilium dicere velle, idem esse, & quod Apostoli fecerunt, dum manus imposuisse dicuntur: & quod nunc faciunt Episcopi, cum confirmare seu chrismare dicuntur: scilicet & hi & illi utrumque tam manus-impositionem, quàm confirmationem seu chrismationem adhibuerunt. Calumniæ Gerhardi, quod formationem Crucis à diabolo didicerimus, aliud non repono, quàm mirum non esse, si Prædicantes Crucem oderint, ipsorum Pater diabolus etiam extremè eandem odit; unde ad hanc à Juliano Apostata formatam subitò omnes cacodæmones aufugerunt, ut testatur

Gregorius Nazianzenus Orat.

3. cont. Julianum.

